

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XV. Quibus Modis Re Contrahitur Obligatio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

TIT. XV.

Quibus Modis Re Contrahitur
Obligatio.

De mutuo.

Re contrahitur obligatio, veluti mutui datione. *Ex Cajo l. 1. de Oblig. & action.*
Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur, inde etiam mutuum appellatum est, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur certi condictio.

De indebito soluto.

1. Is quoque, qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem solvit, re obligatur, daturque agenti contra eum propter repetitionem condictitia actio. *Ex d. l. 1. de obl. & act.*
Nam perinde ab eo condici potest, si apparet, eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. Unde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione, magis quam mutui datione. Sed hæc species obligationis non videtur ex contractu consistere: cum is, qui solvendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quam contrahere.

De commodato.

1. Item is, cui res aliqua utenda datur, id est, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati *Ex d. l. 1. de O. & A.*
actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longe distat: namque non ita res datur, ut ejus fiat: & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito ca-
su

fu amiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiumve incurfu: nihilominus obligatus permanet. At is, qui utendum accepit, sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur, nec sufficit ei, tantam diligentiam adhibuisse, quatenus suis rebus adhibere solitus est: si modo alius diligentior poterat eam rem custodire; sed propter majorem vim majoresve casus non tenetur, si modo non ipsius culpa is casus intervenerit. Alioqui si id, quod tibi commodatum est, peregre tecum ferre malueris, & vel incurfu hostium prædonumve, vel naufragio amiseris: dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, res tibi utenda data est: alioqui mercede interveniente, locatus tibi usus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.

De deposito.

Ex d. l. 1. de obl. & act. 3. Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, tenerique actione depositi: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit: culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentia, non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit: quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.

De pignore.

Ex d. l. 1. de obl. & action. 4. Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur, quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum; placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat: quam si præ-

si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse nec impediri creditum petere.

I.

Contractus reales sunt 1. Mutuum, 2. commodatum, 3. depositum, 4. contractus pignoratitius. *Mutuum* est contractus realis, stricti juris, quo *res fungibilis* ita datur, ut *accipientis fiat*, PR. J. b. l. 27. §. 2. ff. d. aur. & arg. Pr. I. h. leg & ab eo tantundem in eodem genere eademque quantitate & bonitate restituatur. PR. J. b. L. 3. ff. d. Reb. Cred. (a) Restituenda est igitur pecunia credita in eadem bonitate intrinseca. (i. e. in æquali pondere & materia, *Gehalt und Gewicht*,) & extrinseca (i. e. Valore, *Würdigung* s. *Werth*.) Quæ fuit tempore contractus. P. 2. C. El. 28. Dicitur autem philosophis *genus*, quod de pluribus specie differentibus, at *species*, quæ de pluribus individuo differentibus prædicatur. Verum *Juris* genus est, quod philosophis species. l. 2. ff. d. R. C. & species id, quod Philosophis individuum. d. l. 2. l. 15. ff. d. aur. & arg leg.

II. Mutuum parit conditionem certi ex mutuo. PR. ff. b. quæ est Actio personalis, stricti juris, & datur creditori ejusque hæredibus adversus debitorem ejusque hæredes a. L. 12. L. 49. ff. d. O. & A. (b) §. 1. j. d. perp. & temp. act. ad rem fun-
(a) In mutuo id agi intelligitur, ut ejusdem generis & eadem bonitate solvatur, qua datum est. l. 3. ff. d. reb. cred.
(b) Actiones ex contractu vel quasi descendentes, dantur hæredibus & adversus hæredes in solidum, l. 12. l. 49. ff. d. O. & A. §. 1. J. d. perp. & temp. act.

gibi-

gibilem mutuo datam, *in eodem genere*, eadem quantitate & bonitate restituendam. l. 2. §. 1. l. 3. ff. d. R. C.

III. Mutuum, pro affini agnoscit *indebiti solutionem*, atque *hac* est quasi contractus, quo is, qui *indebitum naturale* per *errorem* solutum §. 1. I. h. accepit, ad ejus restitutionem obligatur, §. 1. J. h. §. 6. J. d. obl. qu. quasi ex Contr. nasc. Solutio indebiti *Pupillum* indebitum, æque ac mutuum, accipientem non obstringit. §. 5. J. h. nisi ex indebite soluto adhuc sit locupletior. l. 3. §. 1. ff. d. cond. ind. j. §. 2. J. quib. al. lic. vel non. Solutio indebiti producit *condictionem indebiti*, eaque est actio personalis, stricti juris competens illi, qui *naturaliter indebitum* per *errorem* solvit. l. 19. ff. d. Cond. Ind. (c) aut se soluturum promisit. l. 31. ff. eod. ejusque hæredibus adversus accipientem ejusque hæredes ad indebiti solutum cum omni causa *restituendum*. l. 15. ff. eod.

IV. *Commodatum* est contractus realis b. f. §. 28. j. d. act. Quo conceditur *certus & gratuitus rei, quæ utendo non consumitur, usus*. l. 3. §. f. l. 4. ff. commod. ut eodem finito in specie restituatur. §. II. J. h. *Commodatum differt a mutuo; mutuum enim* consistit in re fungibili, cujus Dominium per traditionem in accipientem transit sub obligatione restituendi eam in genere, unde interitum fert, qui mutuum accepit; at *commodatum* consistit in re non fungibili, cujus saltem

(c) *Naturalis obligatio impedit condictionem indebiti.*
l. 19. ff. d. cond. ind.

usus

usus per traditionem in commodatarium transfertur sub obligatione restituendi eam in specie, proinde commodatarius casum non præstat, culpam levissimam tamen, quia solus utilitatem ex commodato percipit. §. II. *J. b. l. 5. §. 2. ff. §. 2. I. h. commod.*

V. Commodatum producit *Actionem commodati*, eaque est vel *directa* (in genere datur *directa actio* adversus principaliter obligatum) quæ est civilis. *l. 17. §. 3. ff. commod. personalis. b. f. competens commodanti* ejusque hæredibus adversus *commodatarium* ejusque heredes, ad rem commodatam *in specie* restituendam, §. II. *J. b.* vel *Contraria* (in genere datur *contraria actio* adversus minus principaliter obligatum) quæ est civilis *l. 17. §. 3. ff. commod. personalis, bonæ fidei, competens commodatario* ejusque hæredibus adversus *commodantem* ejusque hæredes *ad indemnitatem* rei commodatæ nomine consequendam. *l. 18. §. 2. ff. eod.*

VI. Commodatum præbet occasionem tractandi de dolo, culpa & casu fortuito.

VII. *Dolus* est machinatio, qua alius *a sciente maligno animo* læditur. *l. 1. §. 2. ff. d. dol. mal.* hic præstandus venit in omni contractu, ita ut non valeat conventio de dolo futuro haud præstando. *l. 23. ff. d. R. J. L. 27. §. 4. ff. d. pact. (d)*

VIII. *Culpa* est *prætermisio diligentiae*, quam

(d) *Dolus in omni contractu præstandus est, nec valet conventio de dolo futuro non præstando. l. 23. ff. d. R. J. l. 27. §. 4. ff. d. pact.*

Z

quis

quis adhibere potuisset, damnum producens *fac.*
l. 213. §. f. ff. d. V. S. ea ratione gradus dispescitur in (1) *latam* & est prætermissio diligentiae infimæ s. *remissæ*, quam etiam homines parum diligentes rebus suis adhibere solent. *L. 223. ff. d. V. S. (e)* Hæc in causis pecuniariis æquiparatur dolo. *a. l. 1. §. 1. ff. Si Mens. fals. (f) l. 8. §. 3. ff. d. precar.* (2) in *levem*, & est prætermissio diligentiae mediæ s. *exactæ*, quam homines diligentes rebus suis adhibere solent. *l. 7. C. arbitr. tut. j. l. 10. ff. d. admin. & peric. tut.* ea regulariter vocabulo culpæ simpliciter posito denotatur. *l. 23. ff. d. R. J. l. 5. §. 2. ff. commod.* (3) in *levissimam*, & est prætermissio diligentiae summæ s. *exactissimæ*, quam homines diligentissimi rebus suis adhibere solent. *l. 44. ff. ad l. aquil.*

IX. *Quo gradu præstanda sit culpa* in contractibus vel quasi, intelligitur ex regulis sequentibus, *a. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. d. R. J. j. l. 10. ff. eod.* (1) *in quocunque contractu versatur utilitas solius accipientis, in eo præstat accipiens culpam latam, levem & levissimam*, ut in commo-
 to. *L. 5. §. 2. ff. commod.* (exceptio est in *precario*, in quo, ob illius revocabilitatem, præstat-
 tur culpa lata. *l. 8. §. 3. ff. d. prec. j. l. 1. l. 12. ff. eod.*) *dans tantum culpam latam.* *l. 61. §. 6. ff. d. furt. l. 18. §. 3. commod.* (2) *in quocunque contra-
 ctu versatur utilitas utriusque contrahentis, in*
 (e) *Lata culpa est non intelligere id, quod omnes intelli-
 gunt l. 223. ff. d. V. S.*

(f) *Lata culpa in causis pecuniariis æquiparatur dolo.*
a. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod.

eo præstat uterque culpam latam & levem, ut in emtione venditione l. 5. §. 2. ff. commod. (3) in quocunque contractu versatur utilitas solius dantis, in eo præstat dans culpam latam, levem & levissimam, ut deponens. a. l. 61. §. 5. ff. d. furt. accipiens culpam tantum latam l. 5. §. 2. ff. commod. (excipitur (1) contractus mandati, in quo mandatarius præstat culpam levissimam. l. 21. C. mand. (2) quasi contractus tutelæ, in quo præstat tutor culpam latam & levem l. 1. ff. d. tut. & rat. distr. l. 7. C. arbit. tut. (3) quasi contractus negotiorum gestionis, in quo præstat gestor culpam latam & levem. l. 11. ff. l. 20. C. neg. gest.

X. Casus fortuitus est inopinatus eventus, qui diligentia & prudentia humana, ab eo, qui istum patitur, averti nequit. a. l. 18. l. 19. ff. commod. Hic in nullo contractu præstat, sed res perit suo domino. L. 23. ff. d. R. J. L. 9. C. d. pign. act. (g) nisi casum præcesserit 1) culpa ex contractu præstanda. l. 5. §. 4. 7. ff. commod. 2) mora l. 8. §. 6. d. precar. c. un. X. commod. 3) conventio de præstando casu fortuito d. c. un. l. 9. §. 2. ff. locat. L. 23. ff. d. R. J. (b)

XI. Depositum est contractus realis, b. f. §. 28. J. d. act. quo res gratis custodienda & in specie restituenda traditur & recipitur, a. §. 3. J. h. j. l. f. ff. depos. hoc parit actionem depositi vel dire-

(g) Casus fortuitus in nullo contractu præstat. l. 23. ff. d. R. J. sed res qualibet perit suo domino. l. 9. C. d. pign. act.

(b) Conventio legem dat contractui. l. 23. ff. d. R. J.

etiam vel contrariam, *directa* est personalis, bonæ fidei, & datur *deponenti*, ejusque hæredibus adversus *depositarium* ejusque hæredes ad rem
 §. 3. l. h. depositam *in specie* restituendam, §. III. *J. b.*
 præstare tenetur depositarius dolum, *d. §. & la-*
tam culpam. a. l. 226. ff. d. V. S. l. 1. C. depos. j. l. 1.
§. f. ff. eod. Contraria actio est personalis bonæ
 fidei, & datur *depositario* ejusque hæredibus ad-
 versus *deponentem* ejusque hæredes, *ad inde-*
mnitatem consequendam. *l. 5. ff. depos.*

XII. *Contractus pignoratitius* est realis, bonæ
 fidei, quo res a *debitore* *creditori* *in securita-*
tem crediti traditur, ut ab eodem, soluto pigno-
 ris vinculo, in specie restituatur. §. IV. *J. b. l. 9.*
 §. 3. *ff. d. pign. act.* Hic producit *actionem pi-*
gnoratitiam vel directam vel contrariam, *dire-*
cta est personalis b. f. §. 28. *J. d. act* & datur *de-*
bitori, qui pignus dedit, ejusque hæredibus, ad-
 versus *creditorem*, qui pignus accepit, ejusque
 hæredes ad hoc, ut illud, soluto pignoris vinculo,
reddat. §. IV. *J. b.* Creditor in hoc contractu
 præstat levem culpam, non casum fortuitum
 regulariter *d. §. l. 9. C. d. pign. act.* etiam *jure Sa-*
xon. Electorali P. 2. C. El. 26. *Contraria* est per-
 sonalis bonæ fidei, & datur *Creditori* ejusque
 hæredibus adversus *debitorem* ejusque hæredes
 ad *indemnitate[m] ratione pignoris* consequen-
 dam, *a. l. 16. §. 1. ff. d. pign. act.*

TIT.

TIT. XVI.

De Verborum Obligationibus.

Quomodo contrahantur & quas actiones pariant.

VERBIS obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cum quid dari fieri ve nobis stipulamur: ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio (certi,) si certa sit stipulatio, quam ex stipulatu, si incerta sit; quæ hoc nomine inde utitur, quod stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte a stipite descendens. Ex Cajo l. 1. §. 7. de oblig. & act.

De verbis stipulationum.

1. In hac re olim talia verba tradita fuerunt: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fidepromittis? Fidepromitto. Fidejubes? Fidejubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Utrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua, stipulatio concipiatur, nihil interest: scil. si uterque stipulantium intellectum ejus linguæ habeat. Nec necesse est, eadem lingua utrumque uti, sed sufficit, congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt. Sed hæc solennia verba olim quidem in usû fuerunt; postea autem Leonina Constitutio lata est, quæ solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum. * v. L. 10. C. de contr. stip.

Quibus modis stipulatio fiat. De stipulatione pura vel in diem.

2. Omnis stipulatio aut *pura*, aut *in diem* aut *sub conditione* fit. *Pura*, veluti: *Quinque aureos dare spondes?* Idque confestim peti potest. *In diem*, cum adjecto die, quo pecunia solvatur, stipulatio fit: veluti, *Decem aureos primis Calendis Martiis dare spondes?* Id autem, quod *in diem* stipulamur, statim